bonus; tamen est indebitus respectu talis actionis.
Ut pote servicium: unde ei qui predicat de-
bentur temporalia. Unde apostolus: Si nos vobis
seminavimus spiritualia etc. Item Ieronimus: con-
cedat autem is qui cathezizatur ei qui
se cathezizat in omnibus bonis. Et in
psalmo: Sumite psalmum et date tympa-
num. Et in Ecclesiastico: in divisione sortis da et
accipe. Et apostolus: Non alligabis os bovi
triturantis. Sic ergo predicatori debe-
tur sustentatio vite; ergo sustentatio vi-
te non est finis indebitus respectu predi-
cationis, cum ei debeatur. Preterea neces-
sitas non habet legem; necesse est illi ut su-
stentetur, et non habet unde; sit ita. Necessitas
autem facit de eo quod alias esset mortale
peccatum quod non sit peccatum. Item aliquis po-
test abstinere a peccato tamen causa vitandi pe-
nam temporalem, et sic abstinendo non
peccat; ergo eadem ratione aliquis potest abstinere a malo
causa habendi aliquod bonum temporale tamen non
peccando. Similiter potest facere bonum causa adi-
piscendi bonum temporale tamen non peccando. Ergo
aliquis potest dare etiam causa adipiscendi bo-
num temporale tamen non peccando. Eadem ratione potest
predicare causa adipiscendi bonum temporale non
peccando. Contra est mercennarius
qui tantum pro lucro temporali predicat;
ergo est puniendus. Sed punitio non
habet locum nisi ubi est peccatum; ergo ibi
est peccatum. Preterea iste venit hac ac-
tione contra hoc preceptum: Gratis acce-
pistis, gratis date. Ergo hec acceptio est
peccatum. Item iste comparat verbum dei
cum temporali emolumento; ergo ven-
dit spirituale ut habeat temporale;
ergo committit symoniam; ergo peccat mor-
taliter. Item non debemus manduca-
re ut evangelizemus, non evangeli-
zare ut manducemus; sed iste evan-
gelizat ut manducet; ergo peccat.
Preterea si aliquis prebendam daret pro num-
mis quibus se sustentaret, peccaret
mortaliter quia faceret symoniam; eadem ratione il-
le committit symoniam qui predicat ut
habeat unde sustentetur. Solutio: concedimus quod qui

Quod est symonia quando aliquis
predicat ut habeat unde
sustentetur.

predicatio, consecratio, oratio, actus ba-
ptizandi; et hec sunt opera privilegiata et
spiritualia et de re spirituali, de quibus precipi-
tur: Gratis accepistis, gratis date; et ideo non pos-
sunt fieri causa lucri temporalis. Solutio ad primum dicimus
quod predicatio qua iste predicat ut suste-
tetur, cum duplicem habet radicem sui arbo-
rem unde nascitur. Prima radix est
voluntas qua vult sustentari, que bona
est. Secunda radix est voluntas que nascitur
ex peccato, ut dicitur ... art. scilicet voluntas qua
vult predicare ut sustentetur; et hec voluntas
est mala et symoniaca; et ex hac tam-
quam ex mala arbore procedit pra-
vus actus predicandi symoniacus, qui malus
est, cum ponit spirituale sub precio, et ita con-
tempnit donum dei et deum in suo dono.
Solutio ad secundum dicimus quod non est simile de
fossore in vinea vel in agro et de pre-
dicatione, quoniam fossio est actio corpo-
ralis, et ideo bene cadit sub precio
temporali. Solutio ad tertium: quod sustentatio
temporalis non est finis debitus pre-
dicationis, sed est res debita predi-
catori. Non res quam debet acquirere ex
predicatione, sed res quam meretur
ex predicatione. Unde apostolus: qui arat
in spe debet arare, id est qui predicat
debet predicare in spe habendi
necessaria, non tamen pro spe habendi
illa. Unde dominus in evangelio: dignus est
operarius mercede sua vel cibo suo.
Solutio ad quartum dicimus quod quedam sunt prohi-
bita quia mala in se, que necessi-
tas excusare potest. Unde necessitas
excusavit David cum comedit panes
propositionis, quorum comestio taliter prohi-
bita non est malum in se sed quia prohi-
bitum. Similiter discipuli excusantur
per necessitatem qua confricabant spi-
cas et comedebant. Sed ubi est aliquod
malum in se, necessitas excusare non
potest. Unde cum velle predicare pro tem-
porali sit malum in se, necessitas non potest
excusare in hoc casu. Solutio ad ultimum dicimus
quod hec argumentatio non valet: aliquis